



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi  
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

**Eyschen, Georg von**

**Coloniae, 1655**

§. 74. Omnis enim qui accipit gladium gladio peribit. v. 52.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45515**

§. 74. *Omnis enim qui accipit gladium gladio peribit. v. 52.*

Audiamus utile Argumentum quare suadeat Christus Petro ut gladium recondat in vaginam, primum insinuat in his verbis: *Omnis enim qui accipit gladium gladio peribit* quasi dicat, nescis legem illam Dei Gen. 9. quicunque fuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius: & illam Exod. 21. qui percusserit hominem volens occidere, morte moriatur: Privatam ergo vindictam prohibet Dominus, non ademit gladium magistratui, quod volunt Anabaptistæ: imo vero manifeste tribuit, dum ait, homicidas gladio perituros. Experti sunt hoc ipsum Iudæi qui quoniam cum gladiis & fustibus comprehenderunt Christum gladiis Romanorum occubuerunt: quia Christum crucifixerunt, crucifixi & ipsi sunt, & quidem cum magno scenore, ita ut corporibus cruce deessent teste Iosepho Denique quia Christum prætio emerunt, prætio & ipsi venditi sunt.

**V**ere & bene dixisti Domine per servum tuum: *per qua quis peccat, per hac & punietur*, experti id ipsum sunt Iudæi, da igitur mihi gratiam hanc benignissime Deus ne unquam peccem in te per membra aut potentias sive corporis sive animæ, ne per ea puniar, sed iis utar ad tui solius gloriam.

§. 75. *An putas quia non possum rogare patrem meum, & exhibebit mihi modo plus quam duodecim legiones Angelorum. v. 53.*

Argumento alio enervat Petri temeritatem in extrahendo gladio contra tot armatos pius Dominus, per modum interrogationis: *an putas?* quasi diceret, ad quid mihi tuus gladius? an dubitas, quod si me defendere vellem pro duodecim discipulis defensoribus non possum habere duodecim legiones Angelorum? Ecce etiam Angelorum se profiteretur, qui eos habet paratos, Dominum imo non indigere se auxilio Angelorum simul demonstrat, magis enim Angeli opus habent auxilio unigeniti filii Dei, quam ipse Angelorum ope.

**R**espice nunc o anima mea oculis cordis Dominum & Creatorem tuum cuius celsitudinem mirantur Angeli, quam abiectus esse velit & humiliari propter peccata tua. Age stupens & contremiscens admirare, vide & diligenter rimare uti altissima illa maiestas pro te immentia vilitate sese deiecerit & quasi annihilavit, maxime vero capiendo amorem illum ardentissimum, ex quo istud facere voluit, quando quidem ille solus fuit in causa, cur patiatur, nec velit liberari, ut te perditum salvet in æternum.

Itaque, O Deus misericordissime, quam tibi reddam vicem pro omni hac ineffabili gratia & amore? multum quidem hactenus mirati sumus quod te ad humanæ naturæ susceptionem deijcere & in præsepi collocari voluisti, sed